



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Prima. De convenientiâ, & differentiâ Decretorum, & an eorum
expositio sit licita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)



TRACTATUS PRIMUS

de Decretis Pontificijs.

DISPUTATIO PRIMA

De directâ, & reflexâ infallibilitate Papæ.

SECTIO PRIMA

*De convenientia, & differentia Decretorum, & an eorum
expositio sit licita?*

SUMMARIUM.

Non differunt, nisi quod Innocentius addit præ-

ceptum de charitate servandâ, n. 1. ad 4.

Est necessarium Decreta exponere. Inductio, n.

5. ad 9.

Dictum S. Anselmi in Hæreticos abutentes D.

Augustino, n. 10.

Hæretici non sunt pigri in Scripturâ revolvendâ,

n. 11.

Cur homines liberius opinentur circa mores, quàm

circa Fidem? n. 12.

Doctores qui Decreta explanarunt, n. 13.

Distinguenda in Decretis prohibitio a re probi-

bita, n. 14.

Velatur disputatio impugnandi, non propugnandi

causâ, n. 15.

N. 1.



ULLUM puto, vel Fide-
lium conscientijs salubrius
remedium, vel Sedi Apo-
stolicæ gratius obsequium
à me præstari posse, quàm
Decretorum Põtificiorum
in damnandis malè funda-

tis opinionibus infallibilitatem, & suavem ju-
gi Evangelici severitatem, aut severam sua-

Tom. I.

vitatem, pro nostrâ tenuitate illustrare, ca-
que luci exponere, quæ inter privatos Theo-
logicæ Aulæ parietes nostris Auditoribus
breviori calamo concinnata, otiosum deinde
sexennium prolixiora reddidit. Quamvis
enim circa independentem Decretorum Põ-
tificiorum infallibilitatem in Hispania, &
Italiâ dubitare nefas sit, immò & in Galliâ
ipsâ, dum pro votis res currunt; attamen
quia novæ à modernis excitatæ sunt quæ-
stiones, quæ levi saltem caligine patentem
veritatem offendere possunt, & aliquatenus
Petri firmitatem infirmare, nec omnes mo-
dèrni in illis depellendis conveniunt; quin
aliquando favent, ideo necessarium omnino
dixi ad Theologicæ severitatis lineam eas
vocare. Et quamvis circa licitum usum opi-
nionum minus, certò tamen practicè proba-
bilium, etsi stantium pro libertate, in unum
ferè omnes Universitates, & Scholæ (alias
plerumque inter se pugnantes) conspirarint;
quia tamen contra hanc ipsam licentiam,
quasi licentiosam, doctissimi Neoterici ex
Italiâ, Hispaniâ, Galliâ, armato in iras ca-
lamo quotidie prodeunt, æquum arbitra-
tus sum ad trutinam Theologicam opposita

A

funda-

fundamenta accersere, & examinare, ut inde constet prudentissimum esse opinionis minus, dummodo certo, probabilis, stantis pro libertate, usum.

N. 2. Licet autem mea mens unice sit, Decreta, & damnatas ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. opiniones in genere exponere, (prætermittā singularum explicatione) quia tamen Decreta Alexandri VII. summam habent cum Decretis Innocentij XI. & Alexandri VIII. inter se affinitatem, immo aliquæ ex damnatis ab Alexandro VII. cum aliquibus ab Innocentio XI. damnatis, nec non plures ab Alexandro VIII. damnatas, cum pluribus à B. Pio V. alijsque Pontificibus proscriptis, ideo vix potest sermo institui de unis, quin de alijs. Prodiit igitur anno 1665. primum Alexandri VII. Decretum, & anno 1666. secundum; ejusque vestigijs insistentis edidit suum Innocentius XI. anno 1679. & tandem Alexander VIII. suum evulgavit anno 1690. in quibus Decretis in summam redactis damnantur 141. propositiones. Conveniunt quatuor hæc Decreta, primò, quòd ante damnationem propositiones à pluribus Theologis, & Cardinalibus contra hereticam pravitatem discussæ fuerint, eorumque vota Pontifices audierint. Secundo, quòd dicta quatuor Decreta à Romanæ universalis Inquisitionis Tribunali evulgata fuerint; quomodo autem, infra dicemus. Tertiò, quòd Innocentius, & uterque Alexander, re maturè considerata, statuerit, ac decreverit, damnari, ac prohibuerit. Quarto, quòd ipso facto incidat in latè sententiæ excommunicationem soli Pontifici, excepto mortis articulo, reservatam, qui eas conjunctim, aut divisim defenderit, vel ediderit, vel de illis publicè, aut privatim disputaverit, nisi forsan impugnando. Addit uterque Alexander, docuerit; addit Innocentius, prædicaverit. Quin tò, quòd in virtute sanctæ obedienciæ, & sub Divini Judicii interminatione prohibeat omnibus Christi Fidelibus, ne dictas, aut aliquam earum opinionem ad praxim deducant. In his conveniunt Decreta.

N. 3. Differunt autem, primò, quòd Alexander VII. damnet, ac prohibeat eas, ut minimum tamquam scandalosas; Innocentius addit, *sicut jacent*, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas addit Alexander VIII. tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injurias, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respectivè. Secundo, quòd Innocentius, & Alexander VIII. dicant, se non

ideo intendere alias propositiones in Decreto non expressas approbare. Tertiò, quòd Innocentius ad pacem servandam præcipiat in virtute sanctæ obedienciæ, ut Doctores tam in libris, quam in manuscriptis, thesibus, & disputationibus caveant ab omni censurâ contra propositiones, adhuc inter T. T. controversas.

Verum pro rei veritate Decreta Alexandri VII. non nisi verbo tenus à Decreto Innocentij differunt, præterquam in præcepto pro charitate servandâ, quòd Alexander omittit: de cætero, esto Alexander omiserit *to ut jacent*, & in praxi perniciosas, quis tamen non videat, idem formaliter esse, scandalosas, ac in praxi perniciosas, ut infra, cum melioribus Theologis? Quis quoque non videat propositiones damnari semper, ut jacent? cum enim damnatio odiosissima res sit, amplianda non est. Demum quis non videat, quòd damnare unas, non est approbare, aut reprobare alias? Dixi Decreta Alexandri VII. & Innocentij non differre, differunt tamen à Decreto Alexandri VIII. quòd censuram gravitate, & numero alia longè excedit.

An autem expediens sit explicatio? Dico honestum, immò moraliter necessarium esse explicare Decreta Pontificia, & opiniones ab ijdem damnatas. Est omnium, qui ea, & eas explicarunt. Prima pars probatur primò: quia omne laudabile, est honestum; laudabilitas enim est comes pedisequus honestatis: sed explicare Decreta, & damnatas est laudabile: (quis enim Authores, qui pro dignitate hoc argumentum tractarunt, non laudet?) ergo. Secundo: Omne quod primæ regulæ morum est conforme, est honestum: sed talis explicatio est conformis intellectui, & voluntati Divinæ, quæ est prima regula morum; Deus enim approbat veritatis inquisitionem, & studiositatis virtutem, de quâ S. Th. 2. 2. ergo. Tertiò: quia nullum moraliter necessarium est inhonestum: talis explicatio est moraliter necessaria, ut illitterati doceantur; ergo non est inhonestum, sed honestum. Secunda pars ijs argumentis probatur, quibus necessitas Theologiæ Expositivæ, Scholasticæ, Polemicæ, & Scientiæ Canonice, & Moralis: si enim necessarium est exponere ipsa sacre Scripturæ Oracula, Cõciliorum, & Pontificum dogmata, SS. Patrum autoritates, Juris Canonici principia, & regulas, immò prima conscientia dictamina, quorum expositioni Theologia Dogmatica, Expositiva, Scholastica, & Moralis, insudat; cur hoc non licebit eidem Theologiæ Scholasticæ, & Morali circa Decreta

Innoc.
X.
Alex.
VII.
Alex.
VIII.

N. 4.

Alex.
VII.

N. 5.

Inn. II.

N. 6.

S. Th.
N. 7.

N. 8.

creta Pontificum, & mortum materiam? Cùm enim non tenuis elevari soleat difficultas circa Decreta, & plures ex damnatis gravi laborent difficultate, illæ præsertim quæ fidei, & religionis materiam tangunt ob ea, quæ vel præsupponunt, vel involvunt, & homine apprime in utraq; Theologiâ verisato egeant, hinc, ne errori locus sit, necesse est eas discutere, ut sciatur, quo sensu tenendæ, & quo repudiandæ sint. Nam si Scholastica, & Polemica necessaria est, ut Scripturæ, & Pontificum definitiones ab insurgentibus A catholicorum argumentis illætas tueantur, cùm solemne Hætherodoxis sit, ex SS. PP. & ipso Dei Verbo, & ex veritatibus jam definitis novos inducere errores, ut constat ex S. Anselmo dicente: *Male intellecta materiam errandi, vel contendendi perditis hominibus videntur prestare*; & paulò post loquens de libris S. Augustini, quibus Hæretici abutuntur, ait: *Qui vult errare, vel errorem docere, nihil est tam bene dictum, quod non possit pravo intellectu depravare*: & ideo Dom. Soto in *Prol. ad 4. Sent.* dixit: Hæretici namque in sacris Biblijs revolvendis non sunt nimium negligentes; pluraque in hanc rem scitu digna prosequitur, & de innato Hæreticorum in Philosophiam, & Theologiam odio, egregie differit. Ita multò magis hoc circa definitiones morum necessarium erit, præsertim cùm nimius liberè opinandi libertatis amor sinistrâ soleat interpretatione depravare opiniones circa agèda, quàm circa credenda, & longè facilius homines credant, quæ credenda sunt, quàm agant, quæ juxta morum regulas agenda sunt; quia credere facile est, operari difficile. Accedit inductio Theologorum Polemicarum explanantium dogmata fidei, Canonistarum regulas Canonum, & decretales; immò Scholasticorum, & Casuistarum exponendum Decretum Clementis VIII. damnantis absolutionem inter absentes. Ita C. de Lugo d. 17. de Pœnitentiâ, Joan. Mart. de Prado de Pœnitentiâ *quest. 3. de qualitate*, & modo Sacramentali Confess. *dub. 2. §. 6. P. P. Moya tom. 1. tract. 3. d. 6. quest. 5.* & alij apud eum sine numero, & aliorum exponendum Decretum Urbani VIII. prohibentis duplex pro Missâ stipendium. Ita P. Henao de *Sacrif. Miss.* & apud eum alij; & in materiâ fidei P. Ripalda explanans Bullas Pij V. & Gregorij XIII. damnantis opiniones Baij; & P. de Champs exponens Bullam Innocentij X. damnantis opiniones Janfenij: ergo honestum, & laudabile, & necessarium est explicare dicta Decreta, & opiniones in illis damnatas; ut egregie in earum explanatione Tom. I.

plicatione fudarunt P. Moya in *Selectis*, P. P. Mo-Ardekin *tom. 2. P. Cardenas in quatuor to-mis Critis Theologicæ*, P. Didacus de la Fuente Hurtado, Filgueyra in *Lucernâ decretali*, & in *Censurâ Pontificiâ*, Jo. de Hevas; & Hispano idiomate Lumbier, Hozes, Torrec. Corella, & Diez de Prado. Lastra, & Francez, Latino.

Dices: Tres Pontifices præcipiunt sub poenâ excommunicationis, ne quis publicè, aut privatim de illis disputet, & tractet, nisi fortè impugnando: ergo censurabilis est noster labor. Respondeo primò: Eo ipso, quod Pontifex permittit, ut damnatæ impugnentur, eo ipso gloriosus, & necessarius est noster labor; quis enim sanæ mentis impugnet, quod non intelligit? sed plures ex damnatis non sunt facilè intelligibiles: ergo ut impugnentur, debent intelligi, & explicari. Secundò: Duo sunt in Decretis, prohibito, & res prohibita. De prohibitione, fuerit necne iusta, nefas esset vel minimum dubitare; tota ergo disputatio est de opinionibus prohibitis, & quidem non eo animo, ut stemus pro licito usu damnatarum, sed eo animo, ut magis confirmemur in doctrinâ ab Ecclesiâ receptâ, & ut ex injustitiâ rei prohibitæ magis elucescat justitia Decreti prohibentis. Quare disputare de veritate definitâ, & contra eam arguere, ut tantò magis eam credamus, Catholicum, & Catholicorum est, qui ideo argumenta contra mysteria fidei adducunt, ut magis eorum veritatem ab Hæreticorum impetu immunem servant; disputare de veritate definitâ, ut eam minùs amplectamur, hæreticum, & Hæreticorum est. Breviter: alia est disputatio propugnationis causâ, alia impugnationis causâ. Primum prohibent Decreta, ne propugnemus damnatas, non secundum; dummodo ergo firmiter judicemus damnatas esse scandalosas, & dignas censuris inuistis, potest in earum favorem argui, trahendo, & solvendo earum fundamenta; quod non est nisi disputare impugnationis causâ; præsertim cùm nostra interpretatio non sit autoritativa; talis enim non convenit nisi ei, qui tulit Decretum, sed merè probabilis, iudicio Pontificio quoad omnem apicem subiecta. De hoc ultimo latius Torrecilla *difficult. 1. n. 13.* & nos infra.

Omissi consulo transcribere Decreta, nam ad manum sunt in Doctoribus citatis.